

Templum Apollinis in Gazâ senatui cogendo destinatum legitur apud Josephum, Antiq. l. 23, cap. 21. Nec Cretensibus incognitum erat nomen Maran et Marna, cum puellæ apud eas gentes *Marnæ* titulo, ac si diceretur, *domina*, decorarentur. Ejusdem vestigia in eadem insulâ deprehendas non obscura, ut in *Marathusâ*, *Marathi*, etc.

BERITH, SIVE BAAL-BERITH.

Deus est ex libro tantum Judicum notus, ubi post relatum Gedeonis obitum (1) legitur, Israelitis relicto Domino coram Baal supplices sese provolvisse: *Et prostraverunt sibi Baal-Berith in deum* (ita Hebræus). Templum erat ejus nominis celebre in Sichimis, unde educatam pecuniam Sichimitæ Abimelecho filio Gedeonis penderunt, Judic. 9, 4; eò etiam confugerunt post negatam Abimelecho obedientiam, ibid. 14; ibi tandem Abimelechus ipse molâ mactinariâ à feminâ deturbatâ elisus, interit. Notas de illo conjecturas dedimus in Commentario Judic. 8, 55, quibus has etiam addendas censemus, probantes numen illud è Philisthæis,

(1) Judicum 8, 35: Aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt cum Baalim, percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum.

vel Cretensibus deductum, ipsum esse Dagoneum vel Derecto. Diodorus Siculus, l. 5, tradit, Cretenses religiose cultu deam *Britomartim* adorasse, quam sanè natam dicit è Jove et Carme, cognomento autem appellatam Dictynnam, quòd inventrix haberetur venatorii retis, sive quòd Neptunum proceam amatorem fugiens, cum se in pelagum projecisset, subjectis piscatoriis retibus excepta est. Dictynnæ verum etymon ex Hebræo *Dag-tannim*, *magnum piscis*, deducendum jam à nobis demonstratum est; nec *Britomartis* nomen aliunde repetendum quàm ex *Berith* et *Marath*, *deâ federis*. Auctor à nobis supra laudatus, et Solinus deam illam confundendam cum Dianâ censent, quod nobis etiam probatur, cum Dictynna, Derecto, et Atergatis nihil sint aliud quàm Luna sub Dianæ nomine à Græcis culta. Sermo est apud Macrobiûm, Saturn. l. 1, c. 18, de Baccho, sive Libero *Brusæo*, non alio sanè quàm Sole, cujus pariter nomen deducitur ex *Berith*, sive *Beris*, juxta Chaldæam pronuntiandi rationem. Ita deus, sive dea *Berith*, cui templum Sichimitæ dedicaverant, ex vicinis Philisthæis accitum erat nomen; originæ verò à Cretâ, quemadmodum et cætera ejusdem gentis, derivatum. (CALMET.)

DE SAMUELE PER VISUM SAULI OBJECTO,

Ad 1 Reg. 28, 11, 12,

Dissertatio.

Jam inde à primis Ecclesiæ seculis quæstio de Samuele per visum spectato viros doctos in partes distraxit. Inter maximos doctores et sapientissimos Patres non satis eâ de re unquam convenit, et Ecclesiæ, eâ quâ præstat sapientiâ et discretione, hodiè usque tolerat varias in hoc argumento et discrepantes opiniones, quibus aliqui nullum inferatur vitium unitati charitatis, fidei, morumque. Sunt qui contendunt fraude mulieris pythonissæ factum esse, ut loqui se cum Samuele Sauli opinaretur, ejusque ante se aspectum habere persuaderet, quanquam aliqui nihil ante se haberet, nec respondentem audiret. Alii malunt Samuelem verè Sauli spectandum sese præbuisse.

Quanquam nec inter patronos hujus opinionis satis convenit. Plerique enim contendunt, non vi quidem præstigi, nec magicorum carminum deductum è caelo, prophetam steuisse coram rege; sed, inquit, Dei permissione factum est, ut neque voluntate veneficæ mulieris, neque magicorum carminum vi attentâ, propheta in conspectum Saulis veniret, ejusque oraculo impius rex disceret, quanta in caput suum ex denegatâ Deo obedientiâ evocasset mala. Alii verò asserere non dubitârunt, quandoquidem sanctorum animæ, quemadmodum et impiorum, nondum obtentâ per Jesum Christum libertate, sub principis tenebrarum potestate essent, ejus imperio coactum fuisse

Samuelem, ut magicorum carminum invitationibus pareret.

Tertia de hæc re sententiâ docet, dæmonem ipsum, cum sese Sauli et veneficæ videndum obtulisset, utrumque fecelisse. Alii denique aiunt, neque dæmonem fuisse, neque Samuelem, sed Samuelis phantasma et imaginem, quam Deus vel per angelos, vel sub ipsius virtute exhibuerit.

Nec, si Ecclesiæ Patres dissident, Rabbinii magis conveniunt inter se. Ludibrium esse et merum pythonissæ fallendi artificio tenet R. Samuel Hophni. Cum enim reprobatum è Deo regem, tum et inunctum à Samuele in regem eundem Saulem mulier vaferima nosset, nihil se tamen scire, ne vultum quidem regis agnoscere simulavit, et per suppositum callidè virum, antea de omnibus instructum, totum rei eventum, qualem jam conjiciebat futurum, trepidanti regi, ac Samuelem se audire autumanti, nuntiavit.

Saadias Goon et R. Hai docent fieri nunquam potuisse, ut pythonissæ virtute, nisi à Deo ipso in vivis revocaretur, Samuel videndum sese præberet. Quis autem credat, addunt illi, Deum in gratiam Saulis prophetam revocasse ad vitam, Deum, inquam, qui consulerit per Urim et Thummim (præscripto nempe consulendi Deum ritu), nihil reponere nunquam voluit?

Levi Ben Gerson omnia errantis phantasiæ ludibrio acta esse in morte regis contendit. Minas enim Samuelis, de removendo scilicet à se regno, in mente versans Saul, earum terrore altè menti impresso factum est ut versari sibi ante oculos Samuelem ipsum et dura minitantem crederet.

Aharbanel persuasum habet, dæmonem sub ementitis prophete spoliis hæc omnia Sauli intimasse, quæ ipse eventura conjectando assequeratur. Omnes æquè sententias illas reprobat Manasse Ben Israel, Resurrect. mortuorum, lib. 2, cap. 6; sed libri Zohar opinionem adoptans, autumat spiritus esse quosdam, quibus mira vis est super animas mortuorum, ut ad arbitrium illis utantur, cogantque quodcumque jussurint corpus animare. Hæc tamen eâ tantum conditione agere permittuntur, si primus à morte annus nondum exierit, quo scilicet temporis periodo nondum penitus refriguisse animarum in corpora amorem, ita docent Rabbinii, ut sæpius invisere illa atque fovere, uno verbo, non penitus deseruisse corpus videantur. Eo igitur temporis spatio permissum

animabus iter sibi in corpus perrumpere: quod ut reipsâ fieret, coactus à pythonissâ dæmon præstitit. Certum igitur tenet Rabbinus primùm à morte Samuelis annum nondum exisse: quod notatæ chronologiæ, biennium ab ejusdem prophete obitu statuenti, repugnat.

Tertia tandem opinio tenet, dæmonem sub ementitis prophete spoliis et Sauli et pythonissæ imposuisse. Sunt tandem qui contendunt, nec Samuelis, nec demonis quidquam regi objectum, sed ejus loco spectrum aliquod sive figuram ejusdem prophete, angelorum ministerio, sive ab ipso per se Deo exhibitam.

Agitatâ jam latissimè hæc quæstione à viris doctissimis, vix quidquam novi est quod nobis dicendum supersit. Singularum igitur opinionum rationes potissimas deduxisse contenti, quæ maxime nobis probatur opinio seligetur, nullâ aliorum sententiam, quam aliquin Ecclesiæ tolerandam duxerit, notantes censurâ.

Forum qui evocati magicorum carminum in prophete sententiam asseruerunt, agmen ducit Origenes, quippe qui, flect opinione non primus invexerit, auctoritate tamen suâ valde promovit atque commendavit. Namque ante Origenem laudatur S. Justinus Martyr in Dial., qui scriptis tradiderat, dæmonem potestatem suam in animas justorum et prophetarum exeruisse, quas interdum evocationibus magicis parere jubebat. Vir tamen ille sanctus non asseruisse de industria opinionem, sed tantum per transennam proposuisse videtur, cum Origenes et prudens sciensque illam sæpius inculcans pervicaciter defenderit. Quod sanè nobis insinuat ab Eustathii Antiocheni de Engastrimitho dissertatione, vitio Origeni opinionem illam vertente, quæ modò ex scriptis ipsius errasse nusquam apparet. Ita hanc sententiam ex Origene præfert Eustathius: « Origenes dixit, dæmonem non animam tantum prophete reduxisse, sed eduxisse pariter (ex inferis) alias sanctorum prophetarum (animas.) Quanquam in loco ubi Origenes eam tractat quæstionem, hæc tantum hodiè nobis leguntur, in 1 Reg. 28: « Si ergo talis (tantusque vir erat sub terrâ, et à pythonissâ evocatus est, fateamur oportet dæmonem potestatem in prophete animam obtinuisse.) Deinde orationem suam promovens, addit, quandoquidem Scriptura, seu Spiritus sanctus, Scripturæ auctor, evocatum à pythonissâ Samuelem asserit, nullum superesse de rei veritate ambigendi locum. Mirum autem nemini

jure videri poterit, si apud inferos anima Samuelis aliorumque prophetarum constituta dicatur, eam eò descendisse Christum legamus. Vide eundem tom. 27 in Joan.

Origeni geminus accedit Anastasius Antiochenus, contendens in Odego q. 12: «Sanctorum pariter et impiorum animæ in manu dæmonis erant, antequam Dominus ad inferna descendens exire inde justos præciperet.» Et S. Augustinus ad Simplicianum eâ de re consultus, lib. 2 divers. QQ. q. 4 (vide et de Doctr. christ. cap. 32) rescribens, nihil se magis admirari ait, potuisse dæmonem Samuelis animam coram Saule statuere, quam Satanam colloquia cum Domino miscuisse, facultatem petisse ab illo manum in Jobum injiciendi, actandem ipsam Christum abreptum in pinnaculum templi elevasse. Si Christus, citra dispendium majestatis et potentæ suæ, diabolum tentantem sustinuit; si Judæos ingominam vinculorum et crucis inferentes toleravit; quid sanè nequiverit secretâ providentiæ et sapientiæ suæ dispensatione committere, ut magicis evocationibus anima prophetæ pareret? «Cur, prosequitur idem S. doctor, anima boni hominis à malis viris evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam, eum et viri plerique boni vocati ad malos veniant...., servato atque inconcusso decore virtutis suæ?» Sed in lib. de Curâ pro mort., cap. 15, agnoscit Augustinus Samuelis animam reapse in conspectum Saulis venisse.

Rationes eorum qui Samuelem verè regi apparuisse negant, hæc potissimum adducuntur. 1^o Cùm dæmon nihil in animas justorum possit, qui sanè valuerit in Samuelem pythonissa? Quoniam igitur contrariæ sententiæ favere creditur litera textus, ita tamen exponenda videtur, ut non Samuel, sed spectrum aliquod prophetam referens, regi verba fecisse atque nimis terruisse intelligatur. Neque scriptoribus sacris accidit infrequenter, ut de rebus loquantur non ad veritatem, sed ad speciem. (Vide Eustath., etc.; Nyssen. Epist. ad Theod. episc.) Ita de magis Pharaonis scriptum legimus; produxisse illos, Moysis prodigia emulatos, angues, ranas, sanguinem, scorpiones, etc. An foris reipsa dæmon hæc omnia produxit, non secus ac Moyses? Minime ille quidem; neque enim divina Moysis prodigia pari cum prestigiiis magorum passu processisse credenda sunt. Porrò humano modo locuti SS. scriptores rem narrarunt.

2^o Vix animum inducimus, Deum post reiectum jam olim Saulem, denegatque ipsi oracula sive per prophetas, sive per somnia, 1 Reg. 28, 15, acquivisse tandem ut Samuelem concederet, eum maxime per crimen, nempe consultis magis (quod antea ejusdem Saulis edicto vetitum erat) peteretur. Igitur si neque Deus prophetam emisisse creditur, neque dæmon quidquam eâ in re poterat, restat ut ipse propheta ultro in conspectu regis constitit, vel saltem, quod malumus, prophetæ spectrum credulo Sauli illis, siquidem, si venisse dicatur, vel invitus et magicis incantationibus coactus descendit, vel sponte, vel saltem divinis jussionibus morem gerens. Nihil horum admittitur; solum ergo pro Samuele spectrum regi exhibitum est.

3^o Si Samuel regem convenisset, vel corpore accinctus venit, vel spiritaliter tantum animam stitit. Si corpore, quid sola pythonissa notum Sauli cæterisque virum agnovit? Si spiritus venit, quo privilegio mulier spiritum vidit, adstantibus omnibus invisibilem? Quid autem descendisset propheta, si aspectum suum illi denegabat, cujus gratiâ accitus venerat? Si invisibilis adfuit, frustra ille quidem venisset; si visibilis, par erat Saulem virum nosse et audisse citius, quam feminam prestigiatricem, cui nihil erat cum Samuele.

4^o In rei gestæ historiâ à Scripturâ descriptâ satis habemus argumenti, cur sive fraudi mulieris, sive spectro alicui vano à dæmone objecto res tota deputetur. Namque sacer historicus sermonem prophetæ, quidquid tandem vir ille esset, referens, satis demonstrat, aliud planè esse quod loquebatur, quam prophetam, cujus alioqui personam gerebat. Ut quid enim propheta hæc verba loquens induceretur: *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* quasi scilicet propheta quies magicis evocationibus turbari potuisset, atque invitus à somno excitari. Ventum scelera, malaque dæmonum consilia nunquam committent, ut tranquillum in alterâ vitâ justorum statum conturbent. Falsum igitur præ se ferebant aliquid verba illa, quasi scilicet invitus Samuel è sinu Abrahamæ extractus eò deductus fuisset. Ubi autem propheta religio, eum adorantem se Saulem sustinuit, v. 14: *Inclinavit se Saul super faciem suam in terram, et adoravit?* Egregius iste propheta, dissimulato viri facinore, de consultis nempe dæmonibus, atque de obfirmato in impietate animo, omissis insuper peropportunitis montis ut ad Deum tandem regrederetur, misero po-

tius insultat, atque in ultimam desperationem deducens, edicit nihil manere illi à Deo auxili; quare necem sibi filisque tum et exercitui universo imminere intelligeret. Hiscene indicis divinus Spiritus agnosceretur, atque pietas viri, qui, teste Scripturâ, Saulem vel ab ipso Deum reprobatum delere non desitit, 1 Reg. 15, 35? Insuper, si impetrari illud potuisset, utvi carminum magicorum Samuel evocaretur, nonne id esset necromantiam commendare, atque homines ad illam pronos magis magicisque invitare? Frustra autem reponeretur, non id factum magicorum carminum vi; populus enim non factum ipsum, sed quod maxime factum apparet, observat. Non abs re igitur credimus, alterum planè à Samuele evocanti regi adstitisse, præcaente Deo, ne hoc exemplo pietas et fides populi sui in discrimen veniret.

Frustra autem opponuntur futurorum oracula, ab illo, quicumque tandem esset, sive spectro, sive propheta pronuntiata. Quod enim ab illo pandebatur, sive mendacium erat, sive incertum, sive aliunde cognitum; nihil autem superabat sive dæmonis, sive etiam feminæ pythonissæ scientiam. Saulis reprobatio, Davidis substitutio, res erant in toto latè Israele notissimæ; quin et partim jam impleta, partim verò jamjam perficienda expectabantur. Affecta Saulis res, despondentes militum animi, ipse rex ad ultimas desperationes adductus; hæc, inquam, omnia latere neminem poterant. Hanc animi sui angustiam, summumque rerum suarum discrimen Saul ipse eum feminâ colloctus prodidit. Post hæc autem omnia, admirationi locus erit, si de sinistro belli eventu certum oraculum pronuntiavit? Sunt etiam, qui in ejus verbis mendacium deprehendant, quippe quæ manè alterius diei patrem eum filios occidendos, prædixerit; contendunt enim prelium ad tertiam diem dilatum fuisse. Quomodo autem adjungere poterat oraculum, Saulem ejusque filios manè alterius diei futurorum cum Samuele? Scimus enim virum illum obfirmato in impietate animo diem clausisse; quare ad inferna fuerat deputandus, cùm interim Samuel requie justorum frueretur penes quem appositus etiam Jonathas, filius Saulis, et amicus Davidis piè creditur. Sed fac ea omnia veritati congruerent; an igitur continuo à Samuele pronuntiata credenda sunt? Nonne accidit sæpè, ut angelus tenebrarum in angelum lucis transformetur, et Satan mendacii pater vera edicat? Nonne ejus sunt de Jesu

Christo in Evangelio pronuntiata elogia Marc. 5, 11, et Luc. 4, 41, sicut et Actuum 16, 17, de Paulo et Sila alte edicit: *Isti homines servi Dei Excelsi sunt, qui annuntiant vobis etiam salutis?*

Favent huic opinioni PP. plurimi et interpretes non rari. Eustathius Antiochenus dissertationem de hoc argumento in Origenem adornavit, nihil in eâ historiâ nisi dolum atque illusionem pythonissæ agnosens. Pseudo-Justinus, q. 32 ad Orthodoxos, apparuisse negat verum Samuelem regi expectanti, sed falso prestigium, inquit, dæmon personâ prophetæ assumptâ adstantibus imposuit, permissisque à Deo contra insitam ad mendacium indolem, vera profudit. S. Pionius martyr, Tertullianus de Animâ, c. 37, S. Basilus Magnus in Isai. 8, S. Gregorius Nyssenus Epist. ad Theodos. episc., paria sustinent. Quin et S. Nyssenus autumat, dæmonem sub propheta specie, satellitio aliorum dæmonum stipatum videndum se præbuisse, ex quo factum, ut maga, 1 Reg. 28, 15, clamitans diceret: *Deos vidi ascendentes de terrâ.* S. Hieronymus (1) ita mentem suam prodit: «Saul per incantationes et artes magicas visus est suscitasse Samuelem.» Et in Math. 6: «In Samuelis phantasmate Pythonissa loquitur ad Saulem.» Frustra autem in hæc rem congerimus non dissimiles sententias S. Cyrilli Alexandrini, de Ador. in spir. et verit. lib. 6, auctoris QQ. in veteri et novo Testamento, q. 26; Pseudo-Augustini de Mirabilibus sacre Scripturæ l. 2, c. 2, sicut aliorum plurimum ex priscis recentibusque interpretibus. (Vide et Method. patriarchæ advers. Orig. de Python.; Philastr. de Hæres. cap. 26; Synceel. Chronic., Procop., Gazæum; Rupert, 2 in 1 Reg. 17, et alios plures apud Allatum de Engastrimy cap. 11. Ita et Vat., Grot., Jun., Cleric. et alii.)

Sed inter fautores hujus sententiæ, quidam indignum rati, dæmonem vim habuisse efformandi spectri similitudinem prophetæ referentis; Deus, inquam, sive ipse per se, sive angelorum ministerio, compactum phantasma coram Saule statuit, eoque divinitus loquente, futurorum eventus rex miser audivit. Hæc opinio tam altè sedit Theodoro, ut adversæ sententiæ omnes stultitiæ arguat quæst. 65 in 1 Reg.; namque, ait, eò deducuntur, ut dæmonem jussa Dei exponentem Sauli inducant,

(1) In cap. 7 Isai, et in cap. 15 Ezech.: «Qualis fuit illa, quæ vix est suscitasse animam Samuelis.»

quod sanè repugnat illi 1 Par. 10, 15, juxta Septuaginta: *Mortuus est Saül in suis inquietatibus, quibus iniuste egit Deo, super verbum Domini, quoniam non observavit, quia interrogavit Saül in ventriloco ad querendum, et respondit ei Samuel propheta.* Leo patriarcha præfectus Caricæ apud Allatium, aliquæ nonnulli eandem sententiam teneant.

At sanè incongruum videtur ea omnia quæ Samueli in Scripturâ tribuuntur, dæmonis tantum operationi referri, ne præmonitis quidem de fraude subdoli artificii lectoribus, cum maximè ratum habere videatur ac firmum, eum qui cum Saule sermones miscuit, ac futurorum oracula aperuit, vel ipsum fuisse Samuelem, vel saltem spectrum ipsius, ejus spiritu et nomine, non sine Dei jubentis voluntate agens. Ad mendacia et absurda in eo oracula aliquibus animaversa quod spectat, facile demonstraretur, quemadmodum et in Commentario notavimus, nihil contra veritatem, verumque Samuelis characterem, sicut nec contra rerum gestarum eventus, pronuntiatum fuisse.

Duplicis tantum mendacii reus sermo illi arguitur: 1^o quòd committendum prænuntiaverit prelium mane alterius diei; 2^o quòd Saül, ejusque filii apponendi essent cum Samuele. Primum duplici ratione excusamus: vox illa, *cras*, non semper certum aliquem temporis articulum designat; sed non rarò pro futuro incertoque usurpatur; ita Exod. 15, 14, illud: *Cum interrogaverit te filius tuus cras.* Esto autem pro certo tempore usurparetur, nihil contra veritatem historia: inde contigisset. Saül exactè cum pythoniâ noctis parte, fortassè castris, non longè ab Endor positus, se restituit; eademque die Philistæi prælium commiserunt. Fuso suorum exercitu, rex ad ultimam desperationem adductus, gladio se confodit. Quid hic non commodissimum? Alterum mendacium in verbis Samuelis versatur: *Cras tu et filii tui mecum eritis, quæ sanè verba vel reddi possunt: Cras inter mortuos, sicut et ego sum, referemini; vel: Vos mecum eritis in sinu Abraham.* Cum autem postrema hæc interpretatio impium aliquid præ se ferat, ut scilicet vir impius et in scelere obfirmatus æquo sit jure cum justis et prophetis; idèd præferenda prior sententia, ut verba prophetæ non ad æquilitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referantur, ait S. August. ad Simplic. 1, 2, q. 44.

Addè, opinationem illam, quæ diabolico præ-

stigio factum deputat, nihil habere solidi in S. Scripturâ. Nec vocula quidem eâ de re in textu animadvertitur; si quid incongruum apparet in historiâ, id facile statim è medio subducitur. Nihil nos ad eas angustias cogit, ut evocatum vi magicorum carminum prophetam, atque auctoritatem suam dæmonem in animas sanctorum exeruisse fateamur. Deus occulto providentiæ et sapientiæ suo consilio poterat eo temporis articulo statuisset coram rege prophetam, nullo habito vel ad dæmonem, vel ad pythoniâ respectu, quemadmodum et à Balaamo pseudo-prophetâ, vel ipso rege Balac invito, vera futurorum oracula expressit, Num. 25, 7; et Caiphæ verba in Christum prolata ad oraculum detorsit, Joan. 11, 51. Ita planè eâ occasione servatum: Deus magicas artes præveniens prophetam suscitavit, antequam pythoniâ excantationes suas omnes expelleret, ut ex Scripturâ constat, eâ planè ratione ac Elias propheta, 4 Reg. 1, 5, 4, viros à rege Ochoziâ missos ad consulendum Beelzebub deum Accaron præoccupans quæ à numine auditori veniebant exposuit: *Namquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes.*

Hæc planè omnia in Scripturâ apertissimè insinuantur, cum scilicet pythoniâ inhorruisse legitur ad Samuelis aspectum, 1 Reg. 28, 12: *Cum vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magnâ, et dixit ad Saül: Quare impositisti mihi? Tu es enim Saül. Dixitque ei rex: Noli timere; quid vidisti? Et ait ad Saül: Deus vidi ascendentes de terrâ. Cur pavet mulier, nisi insuetæ visionis horrore? Porro dæmones impiorumque tantum animas magicis incantationibus evocatas spectare assueta, novum planè aliquid, nempe augustum et divinum aliquid spirans Samuelis os intuita, ferre non potuit. Samuel inexpectatus sese obtulit ante peractas mulieris excantationes; unde facilis conjectura ducitur ulterius, non magicâ virtute factum esse ut Samuel coram rege sterneretur; inde terror, inde clamores veneficæ.*

Rejecerat quidem Saulem Deus, consultusque nihil sive per somnia, sive per prophetas respondit; sed quæ lucisque denegaverat, tunc saltem potuit concedere. Nonne in furore aliqua interdum permittit, quæ olim indulgens negavit? Post tolerata diu crimina, tandem iram suam in eos exerit qui diutinâ beneficiorum abusione sceleris sui mensuram impleverat.

run. Queritur cum Saule Samuel: *Quare inquietasti me? Quæ humanis moribus usitata dicendi formula est, rigidè non expendenda.*

Regine verò an pythoniâ spectandum se præberit Samuel, nihil ad rem, cum unicuique venisset exprobrandis regis criminibus, atque imminenti à Deo ultioni prænuntiandæ, quæ quidem sive suis, sive aliorum verbis præstaret, perinde fuisset. Imò ad prophetæ dignitatem conduxisset magis, si aliorum ministerio usus, nolle se ne verbo quidem impium regem dignari demonstraret. Quod verò addunt, alienum fuisse ab indole Samuelis, ut misero adeo acerbus insultaret, nec tandem committendum fuisse à prophetâ, ut à rege divinis honoribus coleretur, ad illa reponimus 1^o profundâ quidem salutatione venientem prophetam salutasse regem, quâ in re non cultum aliquem impendisse; quare adoratio illa civilis erat, non religiosa; 2^o concessio ad penitendum tempore cum Saül abusus fuisset, reliquum erat, ut miseratione depositâ prophetæ severitate et zelo armaretur in virum pervicacem, qui veteribus criminibus immane illud addiderat, nempe magos et arloios consulendi.

Iis relictis rationibus, cæteræ minoris sanè roboris sive victæ se ultrò tradunt, sive ex argumentis infra addendis conficiuntur.

Si autem neque spiritus aliquis nequam, neque spectrum aliquid à dæmone suppositum in scenam prodivit, fateamur oportet ipsum perse Samuelem descendisse: ejus verba pura fuisse oracula, atque textum Scripturæ pronò et maximè litterali sensu accipiendum esse. Quod postremo dictum fusiùs jam demonstrandum suscepimus.

Res est omnium confessione exploratissima, in expositione sacrarum Scripturarum simpliciac maximè pronò litteræ sensui semper esse inhaerendum, nisi si quid fidei vel pietati absoum ex eo referatur. Nihil est autem fidei et pietati repugnans in hæc historiâ nisi quòd demoni atque magicis carminibus vis tribuatur in animas justorum et sanctos. Hoc uno salvo, quidquid ad fidem et pietatem spectat, integrum est. Porro tria esse quæ difficultatem illam tollant, supra insinuavimus. 1^o Si Deum magicas evocationes prævenisse, prophetam statuendo coram rege ante completum impium à pythoniâ ritum, dixerimus. 2^o Si eo temporis articulo suscitandum Deus prophetam censuerit, suo usus arbitrio, non magicis evocationibus servire coactus. 3^o Si Deus, vel

angelus ejus jussu, phantasma aliquid pro Samuele exhiberit. Postremam hæc interpretationem S. Augustino debemus: quæcumque autem ex hisce tribus eligatur, æquè omnia salvat, neque à litterâ textus divertere quidquam cogit. Namque et mulier intenta operi nefario, et Samuel, vel ejus umbra cum rege colloquio miscere, omniaque illa Dei jussu peragi agnoscuntur.

Atqui umbra Samuelis nunquam verus Samuel dici potuisset. Vel semel admissâ phantasticâ ejusdem prophetæ visione, actum est de veritate textus sacri, in quo non semel visus Samuel, ac cum rege colloquio miscuisse legitur. Hæc obijcientibus reponimus, moribus usurpatum esse, ut viso nummo, sive imagine pietâ, vel phantasmate Caesaris, aut Virgillii, ipse conspectus Caesar Virgiliusque dicitur; quemadmodum viso per quietem homine, conspectus homo dicitur. Ita planè visus phantasmate Samuel à rege, tanquam verus Samuel haberi poterat, ac de prophetâ usurpari, quæ ejus umbre deplabantur.

Est igitur cur à litterâ Scripturæ, apposita quam supra adduximus cautione, non recedat. Spiritus est enim divinus, qui opus dictavit, ejusque veritatem auctoritate suâ confirmat; nunquam autem ille contra veritatem litteralem cautos nos facit. Si ergo reliqua historia ad litteram accipienda est, cur hæc tantummodò portio aliò fuerit detorquenda? Legat quicumque historiam illam, et primo intuitu nunquam legenti succurrat, nisi vera prophetæ visio. Nonnisi sercia ejus historiæ meditatio, metusque ne quid concedatur necromantiae, atque dæmonis in animas justorum auctoritati auctores quosdam, ad alias meditationes deduxit. Facile etiam pruritus contradicendi Origeni, ejusque sententiam, absoum alloqui et erroneam, confutandi, in contrarium planè studium pettraxit. Sanè, si fas esset Scripturæ sensum torquere, atque adeò violentum in modum distrahere, si fortè obscurum in illa aliquid deprehendatur, actum esset de historiis sanctissimis totius Scripturæ. Ille Samuel in dæmonem transformatur, propheta in angelum tenebrarum, ejus oracula in mendacia, sermoni ipsius absurda quædam et incongrua appinguntur. O miram sanè metamorphosim! Porro ad eas angustias in explicatione Scripturæ non nisi summâ necessitate cogente addeamur oportet: agitur enim de Scripturâ divinitus inspiratâ, cujus veritas hæc hu-

manas veritates longè antecellit. Tandem propheta vices diabolo demandare nunquam citra injuriam prophetae permissum est. Ludibrio quin etiam licentiosorum exponitur veritas et auctoritas divinarum Scripturarum, si ad sensum detorqueantur planè literæ repugnantem.

Fatemur quidem pluribus inter veteres Patres eam opinionem arrisisse, quos tamen ab impiis ejusdem sententiæ consecutionibus longè abfuisse ne dubitamus quidem. Videntur illi planè non satis advertisse ad textum Eccli. 46, 25, qui de totâ quæstione sententiam ferre in favorem veræ et minimè fucatae visionis propheticæ videtur. Potuit scribentibus facillè excidisse sententia illa, vel saltem non ea erat ejusdem operis tum temporis auctoritas, qualem nostrâ demum ætate obtinuit. Illud constat, nunquam apud illos in eam rem laudari, juxta ac Allatius observavit in Eustat. de Engastr. cap. 24. En igitur locus Ecclesiastici: *Post hoc dormivit, et non locutus est regi, et ostendit illi finem vitæ suæ, et exaltavit vocem suam de terrâ in prophetiâ, de lete impietatis gentis.*

Nemo sanè dicit, scriptorem de objecto sub specie Samuelis diabolo egisse, neque exprimere illum res ad speciem tantum, non ad veritatem. Committine unquam potuisset, ut recurrentes toties in Scripturâ ejusdem historie mentione, nusquam tamen ne verbum quidem occurreret, præstigiū dæmonis insinuans? Estne planè certum dæmoni ipsi tantam inesse potestatem, ut ipse per se visibilem speciem viri sancti possit exhibere? In 1 Par. 10, 13, ubi eadem historia compendio refertur, nihil æquè ac in Ecclesiastico occurrit, quod non verum Samuelem loquentem et sese exhibentem prodât. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eò quòd prævaricatus sit mandatum Domini, quòd præceperat, et non custodierit illud, sed insuper etiam pythonismam consuluerit, nec speraverit in Domino.* Septuaginta habent, uti ex Theodoro supra observavimus: *Quia interrogavit in ventriloquo ad quærendum, et respondit ei Samuel propheta.*

Sola literæ inspectio tam altam impressio de veritate propheticæ visionis ideam in mente veterum ferè omnium, ut aliquos in eas extremitates quondam pertraxerit, quas cavisse nos omninò malamus. Fassi enim Samuelem reipsâ coram rege stetisse, dæmonis, et magi coram carnium vim plus nimò extulerunt.

Laudantur in eam sententiam S. Justinus Martyr, Origenes et Anastasius Antiochenus. Verùm S. Augustinus, post libratas iudicii lance varias de hoc argumento sententias, in eam tandem inclinat, quæ propheticæ visionis veritati favet (1), et S. Ambrosius in Luc. cap. 1: « Samuel, ait, post mortem, secundu(m) Scripturæ testimonium, futura non tacuit. » Auctor carminis in Marcionem l. 5:

*Mirificus Samuel cui reges ungere primùm,
Talibus in vitæ spatio laudabilis exit,
Ut quoque post requiem prophetica jura teneret.*

Zeno, episcopus Veronensis, serm. de Resurr., ait Samuelem post obitum non tantum coram Saule stetisse, sed colloquia miscuisse cum illo, liberitè post obitum carpens, quàm vivus fecerat. S. Thomas, 2-2, q. 174, art. 5, ad 4, et 1 p., q. 89, art. 8, ad 2, ab Augustino magistro nunquam recedens, et ab Ecclesiastici textu persuasus, scribit Samuelis animam de belli eventu sibi à Deo revelatam, certiore regem locuisse: addit oraculum illud verè propheticum habendum esse, cum Samuel ad statum beatitudinis æternæ nondum pervenisset. His omnibus Jungimus Severdū Sulpitium, Hist. sacr. lib. 4; Rabanum Maurum in Eccli. l. 10, cap. 42; Theodoretum, q. 63 in 1 Reg., et Beda in Reg. lib. 4; Isidorum Hispalensem, Eucherium, Anselmum monachum, aliosque, qui S. Augustinum exscripserunt. Paria tradunt duce Josepho Hebræo l. 6 Antiq. c. 15, omnes ferè Rabbini, et Commentatores catholici plerique, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Cajetanus, Sanctius, Steuchus, Bellarminus, Saliarius, Serarius, Estius, Coccius, Castro, Galatinus, Soto, Franciscus Valesius, et alii sexcenti. (Vide si lubet apud Allat. cap. 22 in Eustat. de Engastr.)

Sola auctoris sacri lectio de sententiâ hujus veritate persuasos nos facit. Vix pythoniæ evocandum sibi assumpserat postulatum à rege Samuelem, cum subito et inspiratè obvium habens virum gravem, exclamavit, et dixit ad Saül: *Quare impostasti mihi? tu es enim Saül.* Quantum porrò ingenium et verba textûs torquenda sunt, ut sensus exprimat planè verbis contrarius, objectum nempe sub aspectu prophetae dæmonem feminam terruisse? Requisite à rege, quid sibi

(1) Augustinus de Curâ promortuis cap. 15: « Nam Samuel propheta defunctus vivo Saül et etiam regi futura prædixit. »

monstrari occurrisset, respondit: *Deos vidi ascendentes de terrâ, nempe iudicem, principem, magistratum: Vir senex amictus pallio.* Actutum rex his iudiciis Samuelem agnoscens, pronus in terram angustias quibus tenebatur exposuit. Cui propheta: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te, et transierit ad emulum tuum? Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu meâ, et dabit illud proximo tuo David... Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philistinum. Cras autem tu et filii tui mecum eritis.* Hæc omnia Scriptura, quæ loquentem Samuelem, non sagam inducit. Si quis reponat, feminam credulo regi imponendo propheticam vocem ementitam fuisse, quid, rogo, infausta omnia prædicat, quorum alioqui incertus erat eventus? Nonne pronum est ut credamus subdolum mulierem eam occasionem captaturam, ut regi assentaretur, eumque despondentem animis factâ prosperi eventûs spe relevaret? An illa principum indolem ignorabat, qui graves et invisi- biles veritates minus æquis auribus excipiunt? An fortè cum rege impio et furibundo agere se non intelligebat? Ceterum vix est ut credamus ad eò potuisse feminam vocem suam transformare, ut neque Saül, neque astantium quicumque dolum subodoraretur.

Dicat pro arbitrio quispiam, potuisse dæmonem præstigiis suis et presentibus omnibus, et mulieri imponere. Nihil ipse moror hanc dæmonis potestatem: sed quis, rogo, facillè crediderit, spiritum hunc nequam tam sæpè atque impune Domini nomen usurpare potuisse (1); nomen, inquam, illud sanctum et terribile, cujus unica pronuntiatio reverentiam incutit et terrorem? Quis dicat satis

(1) Nomen *Jehovah* sexies legitur usurpatum in eo colloquio à Samuele, 1 Reg. 28, 15, 16, 17, 18.

studuisse perpetuum illum Dei adversarium ac crimina Saül exprobravisse que ipso auctore commiserat, in animum sibi induxerit? Tandem vix committi potuisse credimus, ut pater ille mendacii tam certa atque asserta futuri eventûs oracula proderet. Esto, noverit ille et Saülis reprobationem, et Davidis electionem, quarum longè latèque sese fama diffuderat, sed infaustum eventum prælii manè alterius diei committendi, quoniam revelante nôrat? Quid etiam in eâ rerum constitutione magis incertum, quàm prælii eventus, atque Saülis totiusque regni familiæ interitus? Poterat sanè rex castris exui, non vitâ; poterat ipse eodem cum prælio casu obvolvi, familiâ interim eâ die incolumi. Absoum etiam videbatur, Saulem de imminente sibi suisque copis lato præmonitum, nullâ ratione suæ cæterorumque saluti consulendum curasse. Solus igitur rerum arbiter et moderator poterat certâ ratione futuros rerum eventus dignoscere, rata futurorum oracula promens.

Dæmonem futuros rerum eventus latere, eosque nonnisi per conjecturas agurari tam certum est quàm quod aliud. Nunc autem qui Samuelis personam induit, non per conjecturas tantum loquitur, sed ex certâ scientiâ, ut tempus ipsum atque circumstantias implendi oraculi designet. Non est igitur ullus ambigendi locus, vero esse Samueli deputandam colloqui cum Saule historiam. An verò *sive in corpore, sive extra corpus* regi sese obtulerit, nescire nos ingenuè fatemur. Quocumque autem habitu adsiterit, nunquam tamen dæmonis vel pythoniæ præstigiis rem esse deputandam, quin potius omnia Deo summo vivorum et mortuorum Domino referenda, certissimè constat.

(CALMET.)

QUID NAAMAN CONCEDI SIBI POSTULARIT AB ELISEO,

UT CORAM REMMON SESE PROSTERNERE LICERET,

Dissertatio.

Naaman copiarum regis Syriæ imperator, III loto ad nutum Elisei aquis Jordanis corpore, receptâ prodigio ex elephantiasi valetudine, III prophetam ipsum conveniens ditissima obtulit

munera, simulque rogavit concedi sibi, ut duos onustos mulos humo ejus regionis reduceret, & Reg. 5, 17: *Non enim, ait, faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo: quando ingreditur domus mea templum Remmon, et illo inuito super manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hæc re. Qui dixit ei: Vade in pace.*

In ipso hujus narrationis limine parvo animo lectores offenduntur. Qui fidei ardor et studium in proselyto! Simul se veri Numinis cultui addictum profitetur, simulque rogat, ut externo deo cultum impendere permittatur. Quam indigna autem prophetâ assentatio, qui rogatus de permissione idololatriæ à Naamano, veniam facilis et pacem concesserit! Si mali exempli crimen homicidio detestabilis habetur, quid de facto Naamani consentium est, unde malum exemplum inducebatur? quid de indulgentiâ Elisei, qui auctoritate suâ probavit? Si Filius Dei profertur rejecturum se hominem, qui nominis Dei confessionem probo duxerit coram hominibus, Math. 10, 33, Luc. 9, 26, quid de proselyto et prophetâ fiet? At enim Naaman solâ externâ cultûs significatione intimos animi sensus occulit. Sed hæc indigna viro fideli simulatio, quæ sanè nunquam detestabilior reputanda est, quam in causâ religionis. Si idololatria crimina superat omnia, si hypocrisis vitium est Dei oculis execerandum, quidnam de Naamano et Eliseo censeas? Et enim vel criminosam hanc sibi idoli venerationem Naaman arbitratus est, vel opus licitum, seu indifferens judicavit. Si licitum et indifferens, cur ab Eliseo petit ut à Deo sibi impetraret ejus rei veniam? Si iniquum et idololatricum duxit, cur rogat, non rennente Eliseo, permitti sibi ejus rei facultatem? Apostolus jubet fideles non modò abstinere ab omni malo, sed etiam ab omni specie malâ, 3 Thess. 22, quod sanè præceptum æquè Judæos spectat atque Christianos. Naaman et Eliseus hoc præceptum negligunt: alter adorat, vel saltem adorationis specimen præbet; alter probat, vel saltem dissimulat, nec prohibet. Num licet duobus dominis servire, Dei cultu cum Belial admixto? Debit planè Naaman omnia tolerare; præfecturâ spoliari potius quam externâ significatione coram idolo stratum apparere, etiamsi eâ cultûs simulatione nihil religioni suæ meture posset; vel eâ solâ ra-

tionem, ut uni imbecillum scandalo consuleret. Quam sanè gloriosum viro, si principi cultum impium jubenti coram ibi obstitisset, ut vitam ipsam pro tam bonâ causâ non recusasset impendere! Id, inquam, magis gloriosum viro fuisset, quam indigna eâ iliberalis regi assentatio. Hæc nonnulli de Naamani et Elisei consilio comminiscuntur.

Plerique tamen, non inter veteres tantum, sed et recentiores, omnem impendunt operam, ut ab idololatriæ et simulationis suspitione utrumque virum purgent. Varii tamen varias ineunt rationes, nunquam omnium idem est scopus, ut vel utrumque, vel Eliseum saltem absolvant. Qui prophetam defendunt, Naamanum tanquam in verâ religione neophytum negligendum ducunt, rati id crimen indulgendum viro qui recens ab idololatriâ desciscens, relatum ex illâ disciplinam de dissimulandâ religione, ut olim apud primos homines, non penitus exuerat. Negant illi acquiescere prophetam precibus Naamani, nec quidquam ab illo concessum aiunt verâ religionis dispendio: sed, inquit, roganti viro solùm respondit: *Vade in pace*; ac si diceret: *Vade*, neque jam ulterius cogites de Remmon, ejusque cultu, sed curas omnes verte in Deum, quem rogo nunquam committat, ut in idololatriæ scelus prolabaris.

Fateamur quidem oportet, Elisei responsum nihil satis expressum præ se ferre de permissione Numinis adorandi; sed nihilominus alium verbum sensum tribuere vix possumus, nisi apertissimâ vi textui illatâ. Alioquin Eliseus expers omnino non erit criminis, si proselytum non modò non confirmaverit, sed in errore reliquerit. Præposterâ sanè dissimulatione usus fuisset, indignâ prorsus viro alienæ salutis studioso et prophetâ. Nonne neophyti dissimulationem imitatus, ejusdemque cum illo criminis particeps fuisset, si obscuris ambagibus dicta involvens, tenebras incauto homini offudisset? neque enim Naaman propheta verba aliter accepisse creditur, quam quomodò hucusque ferè omnes ex historia lectione accipiunt.

Convenient Rabbinî omnem externi cultûs significationem idolis impensam Judæis interdici; cum verò Naaman Judæus non esset genere, sed tantum proselytus domicilii, idcirco, inquit, illi neque palam, neque privatim interdici poterat, quin externam idolo cultûs significationem impenderet, utpote qui extra Israëliticam ditionem et Israelitarum cœtum

versaretur. Quare, ex horum doctorum sententiâ, potuit Eliseus externum cultum idoli proselyto suo permittere. Rationibus è Scripturâ petitis hoc Rabbinorum dogma firmari certè non potest, cum idololatria æquè ac hypocrisis apertè ubique damnetur, et contrarium habeat jus naturale, ipsumque adeo rationis lumen. Debitum Creatori cultum in creaturam transferre, quæcumque tandem ratione id fiat, nunquam tamen crimine et injuriam vacuum est et immune; quin et multo res est detestabilior, cum agnitâ Numinis veritate et palam assertâ, interdicitis sibi publicâ professione sacrificiis, quæ idolis impendantur, admissâ verâ religione, invitâ licet ac reluctantè conscientiâ externus idoli cultus adoptatur. Rabbinorum sententia tenet, Naamanum tanquam proselytum domicilii jure potuisse idola extra Judæam colere.

Vir critices peritissimus æquè ac illustris, nempe Bochart, Dissert. in hunc loc., censet his verbis non veniam deprecari Naamanum pro cultu Numinis in posterum impendendo, sed pro eo qui antea exhibitus fuit. Hunc sensum non malè referre videntur verba textûs Hebraicâ, ita planè ad litteram reddenda: *Ut ignoscat mihi Dominus pro hæc re, quando ingrediebatur dominus meus templum Remmon, ut adoraret, et illo inuito super manum meam, et si adoravi in templo Remmon.* Consonum etiam magis videtur, si venia rogetur à Domino de crimine commisso, quam de committendo; penitendo enim res præteritas spectat; ac si veniam pro crimine quod jam committere decrevissis, deprecemur, nonne ipsi nobis veniam præcludimus? Hæc verò Naamani preces multò etiam magis præposteræ apparent, quòd post missum idololatriæ nuntium, atque unice religionis professione juratâ, adhuc tamen veniam postulat pro idololatriâ iterum recipiendâ.

Vulgaris tamen ratio utrumque virum à crimine absolvendi, hæc inquit. Inter omnes convenit, deberi viris principibus, ac in dignitate constitutis reverentiam et obsequium à subditis; deberi autem non in locis modò profanis, verùm etiam in sacris, quantum tamen officium et religio patitur. Quare Naaman potuit euntem regem ad templum comitari; potuit inintendem brachio sustentare; potuit unâ cum illo procedere, stare, prosterni: quippe qui non in cultum idoli hæc faceret, sed in obsequium principis, nec ut religioni suæ, sed ut muneri faceret satis.

Ita occasione parùm dissimili Tertullianus permisit Christianis ut euntes ad templâ paganos heros prosequerentur: *Licet adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosus habent.* De Idolol. c. 46, 47. *Si quis autem, addit ille, ad sacerdotium me, aut ad sacrificium invitârit, huic ego morem nunquam geram, quòd hæc idolo præstentur officia; sed si aliâ ratione sacrificio obstrictus tenear, inter spectatores sacrificio adero. Quid enim de servis, libertis, atque domesticis christianis eveniret, cum heros sive patronos habent sacrificia præstantes? Fas est igitur viro christiano eadem præstare principibus et magistratibus officia, quæ olim patriarchæ et prophetæ nonnulli, toto vitæ tempore, servitis paganorum addidit, exhibuerunt. Ita Daniel in aula Babylonis, Joseph in Ægyptiaca, vitam traduxerunt.*

Profectò, si adoratio intimo animi obsequio, summum Dei dominium agnoscentis, exhibetur, quis post solemnem Naamani promissionem, se respicere omnem idolorum cultum, de fide illius dubitaverit? Prosternebant quidem coram idolo; significationem quamdam cultûs præ se ferebat, quæ tamen nullum haberet adjunctum erga numen devotionis obsequium, in quo uno ratio adorationis habetur. Externus corporis habitus nihil est, quippe qui solùm adjuncto voluntatis affectu vituperationem meretur aut præmium. Eliseus autem non is erat, qui permittere, sive tolerare, vel dissimulare saltem cultum impium, atque veri Dei cultui repugnantem posset. Quin et Theodoretus putavit, eadem exteriori corporis veneratione, quâ cultum impendere in idolum videbatur Naamanus, illum intimo animi sensu vero Deo prosternere se voluisse (1). Quæ tamen viri docti sententia in absurdas planè consecutiones pertrahi posset, quasi scilicet fas esset thura idolis offerre, externi cultûs significationem exhibere, modò interior mentis oculus in Deum intendatur. Apage hæc absurda à patre piissimo æquè ac doctissimo.

Quam hucusque exposuimus sententiam, cave credas suis carere difficultatibus: 1° Si Naaman post solemnem cultûs veri Numinis professionem, unâ cum rege idololatrâ coram Remmon prostratus apparebat, pessimo sanè

(1) Theod. q. 19 in 4 Reg. Vetus quædam versio Græca in Theodoretî sententiam ire videbatur: *Και προσκύνων ἄμα τῷ Κυρίῳ τῷ Θεῷ.*

exemplo totius rei non ignaros affect. 2^o Cur illud crimine absolvatur, quod ipse Naaman damnandum censens, veniam de eo deprecatur? 3^o Si sacrificio tanquam minister adesse nemo potest sine crimine; si, ut ait Tertullianus ubi supra: « Ad sacerdotium et sacrificium vocatus non ibo; proprium enim idoli officium est. Sed neque consilio, neque sumptu altare operari in ejusmodi fungar; » quid sane magis idololatram sapit, quam inclinatio et adoratio coram idolo? Nec tamen Naaman id cavet: inclinans se regem et sustinet brachio, et simul ipse inclinatur, ac tandem exteriora corporis habitudine nihil ille, quod à rege factum sit, omittit. « Si merum quis sacrificium tradiderit, ait Tertull. ibid., si verbo aliquo sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ. » Et post hæc Naaman absolvendus?

Frustra verò quis respondeat, Naamanum satis mentem suam de cultu Dei exposuisse, cui proinde ex exteriori cultus idoli significatione nulla posset invidia creari. Cùm enim viri professio omnibus esset explorata, si postea coram Numine prostratus, obsequium regi suo præstiturus, cerneretur, statim omnes intelligebant non esse cultum religiosum, sed officium regi exhibitum. Imò idcirco potissimum debuit Naamanus cautius incidere, ne populum de ejus religione persuasum offenderet, neve aliam inderet intentionem sententiam, quam quæ antea de illo concepta fuerat. An Judæus religionis suæ studiosus præstitisset unquam quod Naaman præstitit? An verò quis Judæo crearent invidiam, eadem Naamanum absolvant? Profetæ, si Daniel in aula Nabuchodonosoris, si pius senex Eleazarus coram prefectis regis Antiochi, si S. Paulus ante paganorum tribunal à Naamani exemplum imitari maluissent, res illorum fuissent salvæ; ac Daniel, e. 3, v. 11, ad concentum instrumentorum musicorum se statim coram idolo prostrasset, non quidem ut cultum Numini impenderet, sed ut regi civili obsequio miorgeret, se præberet; Eleazar 2 Mach. 6, 12, puram carnem gustasset, falsò paganis persuadens, se ex idolothytis participasse; ac tandem S. Paulus, nulla habita ratione idoli, quippe quod nihil esset, neque mali aliorum exempli, carnes indiscriminatim adhibuisset in cibum, quamvis sciens prudensque immolatas fuisse idolis hosset (1). Usus culmi ille eà occasione

(1) 4 Cor. 8, 13: *Si esca scandalizasset fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.*

fuisset libertate omnibus permittà, quippe qui aversam haberet ab idololatriâ mentem; ejusque rei nulla creari potuisset in Apostolum, cujus sententiam omnes exploratam habebant, invidia.

Tandem si nos immunem eriminis Naamanum et Eliseum asseramus, cùm alter coram Numine prosterneretur, alter eam cultus significationem permisit; cur eos damnaverimus, qui proximæ peccandi occasione se objiciunt; qui dicto vel facto aliquo in scandali discrimen imbecillos inducunt; qui loca frequentant, vel socios famæ deploratæ; qui tandem, cùm de religione agitur, fidem suam simulatione aliqua occultant? Habent illi optimam animi habitudinem, nihil se mali vel cogitare, vel optare sanèté profiteantur, nihil tamen apud prudentes piosque Christianos proficiunt. Si munus geris, quod sine crimine non præstatur, vel saltem sine exteriori eriminis significatione, ut malum præbeat imbecillibus exemplum, statim recede, neve committas unquam, ut loqueum et officium fratris pares. Hæc Christianis æquè ac Judæis imperantur.

Ut absurdas hæc consecutiones evitemus, nihil sanè probatur ratio illa legendi textum originalem, quæ de crimine jam commisso veniam deprecatur Naaman exprimitur: vel saltem rogasse, ut pravam hanc, cui assueverat, adorandi nempe in templo Remmon unâ cum rege, habitudinem exuere tandem sibi precibus Elisei daretur. Textus enim originalis non legit regem prosternerè se, ac proinde Naamanum, cui initebatur, secum ad prostrationem cogere, sed tantummodò habet: *Quando ingreditur dominus meus templum Remmon, ut adorèt, et illo imitante super manum meam, ego adoravi in templo Remmon. Cùm igitur ego adoravi in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hæc re.* Ratio legendi, quam Septuaginta et auctor Vulgatæ prætulerunt, prior est, me etiam fatentè (1): *Si adoraverò in templo Remmon, adorante es in eodem loco.*

Quæ posterior lectio si retineatur, maluerim ego Naamanum criminis, atque Eliseum indebitæ indulgentiæ damnare. Hæc opinio non ita singularis est, ut doctos peritosque scriptores nonnullos non habeat assertores (2). Vel potius

(1) S. Hieronym. legit: בושתי, pro בושתי. Septuag.: *Et tunc prosternens adoravi in eodem loco.*

(2) Vide Petr. Martyr. hic. et Hugon. et Greg. de Valent., apud Gorn. à Lap. hic.

Naaman veniam commisi criminis deprecatur, cùm scilicet unâ cum rege suo supplex coram Remmon sese prostraverat. Hæc posterior interpretatio planior mihi et genuina creditur, magisque Hebræo et Chaldæo consona. Syriacus et Arabicus interrogationem interponunt: *Ignoscat mihi Dominus servo tuo, si quando ingreditur dominus meus templum Remmon, ut adorèt illo imitante supra manum meam, si adoraverò in templo Remmon, adorante eo in eodem loco? Cùm, inquam, ego adoraverò in eodem loco, ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hæc re? Qui dicit ei: Vade in pace.* Servatur hic eadem lectio ac in Hebræo et Chaldæo in eâ voce: *Si adoraverò; dein verò ad alium sensum divertitur, duriore planè ac in Vulgatâ et Septuaginta. Interrogat enim juxta eam lectionem Naaman, num impetraturus sit à Domino veniam, si unâ cum rege coram idolo se prostraverit.*

Nostræ hujus dissertationis articulum reprehendere visum est nonnullis. (Vid. *Mémoire de Tréouan*, mars 1715.) Indignum enim putarunt, adoptari à nobis singularem Bocharti sententiam, de petitiâ à Naamano commisi jam criminis veniâ, cùm potius rogasse illum dicant prophetam, ut sibi adesse daretur facultas unâ cum rege Syriæ in templo Remmon, et coram idolo unâ cum principe ejus brachio innitente prosterni. Hanc autem nostram sententiam contendunt, nullo argumento evincere posse. Numquid enim, addunt, Naaman nullum aliud idololatriæ specimen exhibuerat quàm cùm in templo Remmon unâ tantum cum rege adoravit? Et si plura commiserat idololatriæ crimina, cur de uno tantummodò hoc veniam postulata? Nullum ejus rei argumentum satis convincens adducitur. Adde, textus omnes et versiones præsentem vel futurum, nunquam præteritum ferre. Tenenda est igitur omnium catholicorum interpretum sententiâ. Hæc adversus nostram sententiam objiciunt: quibus aliquid reponendum est.

Hanc sententiam, quam Bocharti singularem dicunt, scriptores longè plures eruditione lingue sanctæ et phrasibus Scripturæ scientiâ insignes defendunt. Vide Joannem Andream Quenstedt in Dissertatione singulari de hoc argumento. Laudat ille in eandem sententiam Saubertum, Valerium, Glassium, Dorschæum, Danbavermum, Calovium, Dilherum, aliosque nonnullos quibus addi possunt Vanillus et Cene in suo *Specimine versionis*; ne quid dicamus de Bocharto, cujus nos senti-

tiam secuti sumus in nostrâ Dissertatione. Porrò scriptores hi omnes, indignum rati, postulata à Naamano (qualis primo verborum intuitu præfertur) facultatem approbare; nec minus perniciosas consecutiones timentes, quæ statim deducuntur, si postulata omnia ab Eliseo permissa dicantur, prosternendi se scilicet coram idolo, adoptandam nostram hanc interpretationem censuerunt. Affirmare etiam nos jurati possumus, viros plures mentis acuminè præstantissimos offendisse, quibus cum vulgaris interpretatio Catholicorum minis probaretur, de sententiâ hujus loci mirè angebantur.

Inconsultò profectò addunt criminatores nostri, rejectam in dissertatione sententiam catholicis omnibus interpretibus probari. Gregorius de Valentia Jesuita non obscuro nominis Tract. de Fide et fidei Professione disp. q. 3, p. 2, ad 3, apud Cornelium à Lapide, in 4 Reg. 5, 18, hanc Naamani petitionem, si fortè ad eundem idoli facultatem postulavit, criminis, quod etiam à nobis factum est, condemnat. Condemnat etiam Hugo de S. Caro in 4 Reg. 5, 18, qui etiam Elisei indulgentiam criminis arguit. Hæc autem indulgentiâ usum prophetam putat in commodum Judæicæ religionis, ita tamen ut viri fidem obligaverit, ut omnem tandem superstitiosum principis famulum abjiceret, cùm opportunum tempus offenderet; neque interim aliâ ratione dissimulandum cum illo censuisse credit prophetam, quàm quod è re Judæorum futurum videretur, si in aula regis Damasci vir aliquis veræ Judæicæ religionis res promoveret. Æquos judices appello, an hæc satis habenda sint, ad permissendam Naamano in aula regis idololatriæ moram, tum et ad asserendam illi facultatem, externam cultus significationem idolo impediendi. Post damnatos Ecclesiæ sententiâ Sinenses ritus, quis talia defendat?

Addunt, nullo satis idoneo argumento convinci posse, nullam aliam idololatriæ significationem antea exhibuisse Naamanum, quàm quod coram idolo unâ cum rege prosterneretur; quæ nostræ sententiæ consentio est apertissima. Possem ego totam hanc consecutionem negare. Numquid enim non potest quis gravioris alicujus criminis veniam petere, in quo cætera minora veluti continentur, nullâ minorum mentione? Fac, vir aliquis, spectatæ alioquin vitæ, sed idololatriæ criminis reus, veniam postulet de impensio publico aliquo et singulari idololatriæ cultu, nonne et de minori-

bus quoque idololatriæ facinoribus idem præstitisse unâ simul censendus est? Quid in eâ re non consuetum, quid absoum rationi? An minimè ferenda asserimus?

At enim textus et versiones præsens et futurum, nunquam præteritum habent. Qui sanè hæc asserunt, nunquam Chaldaëum, nunquam originalem textum consulerunt. Ita præteritum legit Hebræus: *Quando ingreditur dominus meus templum Remmon, ut adoret, et illo innitente super mamam meam, ego adoravi in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Eliseus dixit ei: Vade in pace.* Si hæc textus auctoritatem sequamur, criminis ante ejuratam idololatriam commissi veniam postulasse Naamanum, asseremus. Nec sanè aliter verba illa interpretari pronum est, cum una eademque in textu vox cultum Naamani et regis æquè designet. Scitum est autem, regem illum non externam tantum cultus significationem idolo impendisse; tantumdem ergo et Naaman de se fatetur.

Si quis verò contendat, utrumque virum

cultum suum ex animi sententiâ impendisse, regem idolo, Naamanum verò, in fano licet et coram idolo prostratum, Deo Judeorum, ut unius ejusdemque externâ specie actionis alter alterius esset finis, illi sanè cavendum est, ne religionem ipsam in discrimen adducat. Eius certè doctrinam Christianorum nemo probaverit, quibus illud est religione sanctum, ut omnem in fide et præcipuo cultu simulationem, tanquam prævaricationem, abjiciant: *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate suâ, Luc. 9, 26.* Superest igitur, ut dicant, Naamanum, ad templum unâ cum rege profectum, obsequium principi debitum, non cultum numini impendisse. Imbecillitatem meam fateor: hæc ego sententiam, cujus perniciosas timeo consecutiones, ferre non possum; nec in animum unquam inducam, virum ejus probitatis, scientiæ, et in religionem suam studii, qualem Eliseum credimus, id commisisse, ut rem illam suffragio suo confirmaret. (CALMET.)

DE RETROGRADATIONE SOLIS IN HOROLOGIO ACHAZ

Dissertatio.

Celebre illud sub Ezechîâ prodigium, cui dissertatio hæc nostra debetur, non simplex prodigium tantummodò censendum est, cujus veritas contra impios et absurdos obtrectatores asserenda sit, sed pluribus miraculis constans prodigium; de quibus singulis pia fidelium studia explere, siquidem fieri possit, eorumque fidem et religionem instruere, et philosophantes quasdam mentes pascere opus est. Nos igitur in præsentiarum sensum textus in examen revocabimus, varias exponemus sententias, ac tandem totum prodigium evolvemus; inquirentes insuper, utrum per universum latè orbem spectabile se illud exhibuerit, an solum in Palestinâ; utrum sol retrogrado cursu iter converterit, an tantum horologii umbra recesserit; utrum ea contingerit retrogradatio sensim, an statim tota; ac denique ad horologiorum originem devertemus.

Cum rex Ezechias gravissimo laboraret morbo, Isaiâs jussu Domini ad ægrotum ve-

niens, incolumitatem infra triduum prænuntiavit, camque incolumitatem, ut statim posset ad templum ascendere. Certo aliquo signo dictorum fidem adstrui sibi Ezechias poposcit, cui Isaiâs proposuit, malletne solis umbram decem lineis procedere, an tantumdem spatii recedere. Tum rex: *Ulo, inquit, negotio fieri potest, ut umbra decem lineis urgeatur. Alterum igitur præfero. Nec mora: statim enim verso in preces prophetâ, umbra decursas jam decem lineas in horologio Achaz, iterum verso cursu repetiit.* Hæc historia legitur in 4 Regum 20, 11. In 2 Paralip. 32, 24, prodigium illud tantum indicatur, exactiori singularum rerum descriptione prætermissâ. Isaiâs c. 38, v. 7, 8, singula juxta fidem libri Regum prosequitur, quanquam non solum umbram recessisse memorat, quemadmodum in libro Regum, sed et solem: *Et reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.* In textu Latino Isaiâs exprimitur horologium Achaz, de quo

etiam in libro Regum. Sed textus originalis habet tantummodò, *gradus Achaz* (1). S. Hieronymus in Isai. 36, 2, fatetur, Symmachi se fidem secutum, vertisse horologium et lineas, quod textus habet gradus et scalas. Jonathan reddit *lapidem horarium*, אבן שעות.

Dissentient interpretes in explicandâ structurâ horologii Achaz. S. Hieronymus ibidem hæc habet: «Sive ita extructi erant gradus arte «mechanicâ, ut per singulos umbra descenderet horarum spatia terminaret.» Paria sensit etiam S. Cyrillus Alexandrinus in Isai. 1. 5, t. 4: «Dicunt autem, Achazum Ezechîæ «patrem in domo suâ velut machinâ et arte «quâdam gradus quosdam confici curavisse, «qui velut horas numerarent, et cursum solis «decursu umbræ in illis factæ metirentur.» Sequuntur hos auctores plerique recentiores interpretes (2), inter quos non desunt, qui censuerint potuisse Ezechiam è suo conclavi ac lecto facillè horologium spectare, ut totius prodigii testis esset oculatus.

Aliis verò creditur, verum fuisse horologium solare, instar primigeniorum illorum quæ olim obtinuerunt in Græciâ et in Italiâ, ita à veteribus descripta, quasi columna essent in medio aræ erecta, quam scilicet aræam variis lineis distinguebant. Percurrens igitur umbra columnæ varias illas lineas, horas diei notabat. Cum autem vetustissima dividendi horas ratio totam diem in duodecim horas dispesceret, pro diebus variis et anni temporibus varias etiam fuisse horas oportebat; quare horologii lineæ quàmplures duci debebant, quippe quæ non horis modò responderent, sed inæqualibus etiam horis, pro singulis anni temporibus, servirent. Hinc certum linearum in horologio Achaz numerum definire non possumus, nec certum notare spatium retrogradationis. Sunt qui duodecim lineas notent, sunt qui quatuor et viginti; alii malunt viginti et octo; alii etiam numerum augent.

Totum hujus horologii rationem ex R. Eliâ Chomer ita Grotius describit: *Concavus erat, atque hemisphæricus globus, alterum in medio complectens globum, cujus umbra in varias lineas in cavitate notatas incidebat, quæ sanè lineæ, inquit, 28 erant numero. Hoc horologium Græci scaphen, nempe navim, vel hemisphæron appellant, cujus inventi honorem Beroso Chaldaeo tribuit Vitruvius 1. 9, c. 9.*

(1) כַּלְעוֹת אַחַז: Septuag. : Βαθμῶν, gradus.
(2) Vatablus, Pagninus, Munsterus, Malvenda, Sanctius, in hunc locum.

Nos infra ostendemus, multò facillimè credi, horologium Achaz ad Chaldaeorum imitationem expressum fuisse. Similis fermè horologii inventionem, cujus postea formam describemus, Moysi tribuisse Appio videtur. Lineæ in sphaericâ cavitate signatæ, propriè satis gradus appellari videntur. Sed quæcumque fuerit hujus horologii structura, convenit inter omnes, opus illud horis distinguendis servisse, atque indicio umbræ retrogradæ hujus machinæ dictis suis fidem Isaiâm adstruxisse.

Sed negotium facit hujus retrogradationis ratio. Duplex est potissimum inter catholicos interpretes sententiâ: alii solem ipsum cursum vertisse aiunt; recessisse tantummodò umbram alii malunt. Ambæ in examen revocandæ. Patres et interpretum quoque (1), litteram Scripturæ tantum secuti, nihil inde objectas difficultates sive alienius momenti, sive nullius morantur. Ita enim philosophantur: *Res æquè ac prodigium constant: quorsum physicâ ratione explicare laboremus, quod supra naturam est? Idem ejusdem rei auctor, ipse etiam se illam fecisse prodidit, quem sanè sapientissimum novimus, ut incommoda omnia, quæ obijciuntur, præcavere potuerit: potissimum, ut ardua omnia superet.*

Pseudo-Dionysio Areopagite epist. 7 ad Polycarp. visum est, eam diem productionem cæteris fuisse; in quam etiam sententiâ S. Gregorius Nazianzenus. orat. 49 in laudem patris, inclinavit: *utrique proinde ea sedit opinio, ut sol retrogrado cursu iter converterit.* S. Hieronymus in Isai. 38, ad orientale horizontis punctum remeasse solem censuit, «ut quomodò sol reverteretur ad exordium «sui, ita Ezechîæ vita ad detextos annos rediret.» Paria meditatus est S. Augustinus 1. Civ. 21, c. 8: «Retroversum maximum sidus «regnantem Ezechîâ.» Eadem fert auctor de Mirabilibus S. Scripturæ 1. 2, c. 28: «Solis «in ortum ab occasu per decem horas cursum «recedivo Deus tramite retorquet; et addique insuper: «Sol in prociuctu occasus sui positus, in diei initium redugitur.» Hanc solis retrogradationem universum, quâ late patet, terrarum orbem sensisse, Theodoretus, q. 22 in 4 Reg., et in psalm. 29, v. 15, est auctor, cujus, inquit, rei circumstantias omnes et

(1) Vide, si placet, Sanct., Tir., Jun., Pisc., Perer., Nat. Alex., dissert. 8, t. 2, in Vet. Test., etc.; Procop., Lyran., Hug., Haimon., Adam. in Isai., Serar. in Jos.